

De carcinomate penis ... / auctor Iohannes Hermannus Frasch.

Contributors

Frasch, Johann Hermann, 1830-

Publication/Creation

Halis : Otto Hendelius, [1855?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k7jffj26>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE CARCINOMATE PENIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

ET DIE XXIV. MENSIS MAII A. MDCCCLV.

UNA CVM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOHANNES HERMANNUS FRASCH.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

B. HOELTZER, MED. CAND.

M. VENT, MED. STUD.

HALIS,

FORMIS EXPRESSIT OTTO HENDELIVS.

DE CIRURGIA ET MEDICINA LIBERIS

ET MEDICINA LIBERIS ET CIRURGIA LIBERIS

1610

STATUTUM EST Auctoratum

GRATIAS MEDICORUM ORNATIS

ROMANAE ACADEMIAE LIBERIS

ET MEDICINA LIBERIS ET CIRURGIA LIBERIS

STATUTUM EST Auctoratum

GRATIAS MEDICORUM ORNATIS

ROMANAE ACADEMIAE LIBERIS

STATUTUM EST Auctoratum

GRATIAS MEDICORUM ORNATIS

1610

GRATIAS MEDICORUM ORNATIS

VIRO
PERILUSTRI EXCELLENTISSIMO PERITISSIMO
E. BLASIO

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
SCHOLAE OPHTHALMIATRICO - CHIRURGICAE DIRECTORI
VIRO A CONS. REGIS INT.
PRAECEPTORI MAXIME VENERABILI

HASCE PAGELLAS PIO ANIMO OFFERT

AUCTOR.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30562399>

L. B. S.

Nostris temporibus, nota librorum abundantia medicinae candidato dissertationis thema quaerenti vix aliquid in mentem veniet, qua de re viri insigniores non jam fusius atque accuratius verba fecissent. Itaque L. B. quum et hoc libello tibi non nova afferantur inventa, magisque exercitium et studiorum repetitio, paucis exponam quibus causis commotus eum conscripsi. Wirceburgi, Ill. a Textore t. t. chirurgo nosocomii primario penis vidi amputationem, quae modo instituta est, postquam aegrotus circa sexaginta annos natus tres per hebdomates medicamentis antisyphiliticis sine successu est subjectus. Num operatione illa cuius vulnus exoptata cicatrice obductum est in posterum tuto sit sanatus nescio, quum jam sex post menses almam Julian-Maximilianam relinquem. Attamen mirum mihi visum est, quomodo chirurgiae professor et doctor insigni inter omnes laude de natura neoplasmatis dubitare possit, qua de re nunc melius sum instructus, ideoque quaestioni illi tractandae operam dedi variasque cognovi sententias. Halis Ill. BLASIUM hac de re interrogavi, qui studiis suis mecum com-

municatis, annalibusque clinici ophthalmiatrico - chirurgici, cui
praeceps, usui meo traditis, his omnibus dissertationis funda-
mentis uti permisit, nec operam nonnullos casus promulgandi
habuit perditam.

Itaque in parte secunda praeceptoris mei summe colendi,
cui data hac occasione gratias ago quam maximas, quam dili-
gentissime reddere studui sententiam, reliquis vero L. B. grato
animo indulgeas.

Si in libello de penis carcinomate conscripto nulla fit mentio structurae neoplasmatum histologicae, qua eorum natura demonstretur, nostris temporibus necesse est paucis verbis me defendere et excusare. Primum vero casus sub finem memoratos non ipse vidi sed ex regii clinici chirurgici annalibus conscripsi, quibus in libris de examinatione microscopico-histologica pauca vel nulla inveni notata; deinde medicis nonnullis practicis, qui de penis carcinomate omnino dubitant talesque tumores semper condylomata vel tale quid habent, optime mihi carcinomatosa natura probanda videtur causibus sub finem allatis, quibus demonstratur extare penis tumores, quorum idem ac aliarum partium carcinomatis est decursus. Denique quamquam Wirceburgi occasione data disciplina ILL. VIRCHOVII usus sum et anatomiam pathologiam inter primarias totius medicinae partes habeo, nec minus microscopium ejus instrumentum principale maximi aestimo, tamen hoc loco rationem ei non habendam esse censeo, quoniam ad usum conferenda atque in vita ipsa exercenda edere mihi proposui. Si PIROGOFFIUS nuper carcinomatis diagnosim cel-

lulis cancerosis post extirpationem repertis firmare studet, nihil aliud eo demonstrat, ac se, quod anatomiam pathologicam attinet, aliorum investigatorum esse asseclam, qui ut Francogalli plerique et HANNOVER peculiares cellulas cancerosas invenierunt et descripsérunt, quae cellulæ insigni pro magnitudine nucleo, plurium nucleorum crebritate, nucleoli magnitudine ejusque eximia perspicuitate sint cognoscenda. Mihi vero ipsa ILL. VIRCHOVII institutione persuasum est, illam sententiam esse falsam, qui se nunquam cellulas singulares invenisse dixit quarum ex forma, magnitudine, reliquisque carcinoma dignoscere potuisse, quam sententiam etiam ROKITANSKY comprobat. ILL. VIRCHOVUS me docuit, carcinomata ex fibroso constare stromate ejusque contentu, cellulis, moleculis et sero, sed magis in variis cellularum formis, quibus celerrimi progressus declarantur, in lacte expresso cancroso — i. e. cellulis earumque detritu sero suspensi — carcinomatis natura potissimum cerni posse dixit. Viri igitur harum rerum peritissimi definitionem pathologico-histologicam carcinomatis ejusque generum se edere non posse affirmant, quare quaestionem, quid sit carcinoma, alio modo solvere studeamus. Carcinoma vero est nomen collectivum, cui fungus medullaris, f. melanodes, scirrhus aliaque sunt subjuncta, et nisi, quod in temporum decursu in usum venit, nomine cancro scirrhus significatur, nostris temporibus nullus praceptor, qui scholas habet clinicas, carcinomatis diagnosi contentus erit, sed semper certam speciem nominatam posset. Commune vero variarum formarum investiganti, quo inter se cunctae sint, nihil aliud

in mentem veniet ac malignitas, quam sententiam etiam chirurgi acceperunt, quorum capita, in quibus de cancris agitur plerumque inscripta sunt: Neoplasmata maligna. Carcinoma est neoplasma malignum, haec, est chirurgorum definitio quam nonnulli nudis verbis prouinciare noluerunt et verbosa interpretatione abscondere studuerunt.

Sed etiam haec definitio, quod initio notandum, non strictissimo sensu est excipienda, quomodo enim haud recte neoplasmatum genus quoddam a reliquis benignis separant, simulque contendunt varios tumores perpetua concitatione aliisque causis noxiis in carcinomata posse converti, adeo primitus integra ac sana elementa in carcinomatosa posse mutari (ROKITONSKY), eodem modo falso conceditur neoplasmata maligna prospero cum successu posse extirpari vel forsitan sponte posse sanari, quo posteriori casu tumor agnoscitur malignus, qui potentia sed non actu est malignus. Alii, qui dispositionem et ordinem propositum diligenter student tueri, fortasse recte his sententiis diagnosis errores defendi et excusari praedicant. Malignitatis vis his omnibus valde anceps facta est, medicis practicis vero necessaria, qui verbis Homoeoplasia et Heteroplasia inductis postulaverunt, ut viri anatomiae pathologicae gnari novum sistema arte conclusum ederent, cui postulationi adhuc non responderunt, et ROKITANSKY ipse diagnostin et sistema etiam nunc empiriae relinquenda esse concedit.

Jam vero quaestio videtur movenda:

Quibus constet malignitas.

ROKITANSKY omnia dicit esse maligna, quae ex priore dyscrasia morboque universi corporis pendeant vel ab his sint successa; qua explicatione tumoribus carcinomatosis adhibita modo significatur: Tumor, quilibet est malignus, qui arte non interveniente plerumque partibus dissolutis in ulcus conuertitur apertum, quod celeri progressu vel magnis sanguinis profluviis, vel secretis simulque exorta dyscrasia totius prosternit corporis valetudinem, vel illa dyscrasia intercedente partibusque internis, ad vitam necessariis simili modo affectis, cito commovet mortem, qui tumor extirpatus, vel cauterio extinctus eadem dyscrasia intercedente vel eodem vel alio relatus, hoc vel illo modo causa fit mortis.

Quod ad therapiam et praecipue ad operationem attinet, tres exstant sententiae, quarum dissidium, quomodo solvatur medici practici plurimum interest. Alii operationem instituendam censem, qua morbus sanetur, alii operationem quidem faciendam existimant, qua aegrotus per tempus aliquod doloribus, reliquisque molestiis liberetur, alii operationem semper rejiciendam putant, qua violenta atque inutili exitus lethalis non procrastinetur sed potius acceleretur. Evidem — si quis scire velit — primae sum addictus et sola ex tempestiva et subtili extirpatione aegroti salutem pendere existimo, quam sententiam, quoniam experientia non sum doctus, aliis causis fortasse defendere studebo. Agitur de quaestione, quid sit prius neoplasma an dyscrasia, quae factis vix dijudicanda, etiam ab Rokitansky non dirimitur. Mihi neoplasma prius habendum videtur, quamquam bene scio originem persaepe vix causis ut

ita dicam externis expediri posse; attamen non intelligo quam ob rem dyscrasia horum tumorum nec etiam benignorum causa habetur, quae dyscrasia sanguinis examinatione adhuc satis demonstrari non potest, quae etiam demonstrata nullius esset momenti, quoniam J. VOGEL nos docuit blasphemata solidum, fluidum principio ex vasis sanguiferis egressum omnium neoplasmatum esse idem nec forma nec compositione chemica diversum. Si vero carcinoma prius existit nescio cur remedium singulae cuiusdam partis morbo aptissimum rejiciamus, nescio quo alio modo imminentibus tumoris mutationibus praeveniamus, nescio quoniam alio modo sequentem inhibeamus dyscrasiam.

Jam mihi tumorem carcinomatosum priorem existimenti, quaestio movenda videtur, quomodo fiat ut morbus singulae partis tantam in succi et sanguinis copiam vim adipiscatur, ut de dyscrasia loquamur.

Tres patent viae: telarum continuatio, vasa lymphatica, venae, quarum prima non solum continuos tumoris primi amplectitur progressus, non solum propinquarum partium excidium, sed etiam, qui haud raro in ventriculi carcinomate observantur, saltuatim exortos novos tumores secundum intestinorum tractum, id quod vel eadem noxia causa perpetuo agente explicatur, vel sanie carcinomatis dissoluti asportata, constrictionibus spasticis passim retenta quasi corrodendo nova commovente ulcera. Alii etiam casus hac ratione interpretandi videntur; memini Jenae ventriculi carcinoma vidisse, quod exerto ejusmodi tegumentorum ulcere fistulam ventriculi effecerat, partis enim contiguae sine dubio inflammatione

adhaesiva continuae redditae sunt; alterum casum vidi Wirceburgi, quo tumores glandularum lymphaticarum secundarii evidenter adverso flumine exstiterant.

Progressus secundum vasa lymphatica et venas uno loco sunt tractandi, utraque enim via materia noxia directe sanguini fluenti admisceri potest. Fungus medullaris plerumque venarum cursum sequi dicitur et fortasse recte, observant enim massam encephaloïdem in parte quadam interna exortam in venarum lumen intrare ibique magis magisque auctam ad venam cavam usque pervenire, id quod Ill. KRU肯BERG casu nobis demonstravit. Hic rerum status quamquam raro, similis saepius invenitur, quo vena quaedam parietibus destructis alteram in partem tumoris medullaris intrat et altera in parte exeat; utroque hoc casu sanguis, glandulis vero lymphaticis infectis, lympha neoplasma ipsum attingit. Arbitrari igitur possumus particulis carcinomatosis avulsis alioque asportatis nova effici carcinomata, quae opinio observationibus firmatur, quod glandula proxima tum modo infici solet, si antecedens jam satis est destruta, quod vena quadam correpta plerumque tumores carcinomatosi in pulmonibus inveniuntur, i. e. in sistente proximo capillari. Hujus explicationis sectatores augescendi et accrescendi facultatem particulis a solo ut ita dicam materno avulsis concedunt, id quod LANGENBECKII satis noto experimento legeque formationis similis inde proposita affirmare student, faecis enim vim, qua alias eo usque sanas cellulas sola praesentia in cancerosas convertant iis dare nolunt.

Qua explanatione, quamquam satis est perspicua omnes tamen dubitationes non tolluntur. Primum enim hac ratione totum corpus tummodo per vasa lymphatica infici potest, si ultima ante ductum thoracicum sita glandula jam est correpta, is enim glandulis non intervenientibus solus est satis amplus, per quem cellulae integrae penetrent; deinde primus omnium tumorum secundariorum semper in pulmonibus reperi deberet, quum cellulae majores sint, quam quae vasa capillaria permeare possint. Multis vero contrariis observationibus demonstratur, hanc rationem simplicem et ut ita dicam mechanicam explicationi non sufficere, omnibusque fere coacti infectionem per fluida probare debemus, eodem modo, quo hodie vix est, qui morbum vulgo Pyaemiam dictam cellulis purulentis in sanguinem receptis explicare studeat.

Arbitremur igitur dyscrasiae carcinomatosae i. e. organismi dispositionis plures similes tumores variis locis procreandi conditionem esse liquores carcinomatis primi per endosmosin receptos. Sola hac ratione casus variii expediuntur, quorum unum afferam, quem Wirzburgi ipse vidi. Neoplasma parotidis jam paene disolutum exstitit, simulque pulmonibus integris tumor ejusdem generis in fovea occipitali inventus est, qui cerebello compresso causa fuit mortis. Hic modo omnes adjacentes partes primo neoplasmate irritationis statu esse correptas, et sanguinem liquoribus receptis depravatum, tumorēm secundarium ejusdem generis provocasse, putare possumus.

His praemissis denique malignitatem cognoscendam

eaque fundatam carcinomatis diagnosin paucis respiciamus. Discremen inter Homoeo- et Heteroplasmata, microscopio haud demonstratum omittamus, blastematum primorum diversitatem chemia nondum comprobata taceamus, et reliqua potius signa consideremus. Neoplasma dicitur malignum, quod nulla certa noxia variis locis eodem modo exoritur exstirpatumque redit.

Attamen quis est, qui dyserasiam lipomatosam neget, qui dyserasiam verrucosam ignoret, quamquam hanc ob causam nemo lipomata et verrucas inter tumores malignos referet. Carcinomata vero saepe longum per tempus unum tenent locum et operatione interdum removeri dicuntur.

Neoplasma dicitur malignum, quod vasis lymphaticis correptis glandularum tumores ejusdem generis excitat.

Attamen apud Ill. VIRCHOVIUM enchondroma, ab omnibus inter tumores benignos numeratum, costae spuria vidi, quod plurimum in glandulis lymphaticis secundum flumen exortorum causa fuerat adeo egregii enchondromatis in pulmone reperti. Carcinomata vero saepe vasa lymphatica non inficere dicuntur, quod jam supra commemoratum.

Neoplasma dicitur malignum, quod dissolutum ulceris saniosis secretis propinquisque partibus affectis valetudinem prostigat.

Attamen modus augescendi idem est tumorum et benignorum et malignorum et ulcera simplicia male tractata saepe eximiam adipisci magnetudinem, pedumque ulcera neglecta secretis interdum valetudinem valde

turbare, adeo amputationis quaestionem movisse, quis est qui nesciat. Carcinomata vero saepe longum per tembus non dissolvuntur, ulceratione exorta adeo sanari interdum dicuntur.

Neoplasma dicitur malignum, quod cum praeeexistente vel sequente dyscrasia est conjunctum.

Attamen nemo dubitat quin tubercula cutis syphilistica, crebra interdum inventa et condylomata syphilistica ex dyscrasia quadam pendeant, nihilominus huius tumores malignis non adnumerantur. Carcinomata vero interdum operatione sanari i. e. non cum dyscrasia conjuncta esse dicuntur.

His ex omnibus intelligitur nos neoplasmata cum dyscrasia conjuncta omnibusque supra commemoratis signis praedita tuncmodo appellare maligna, si tumor locali et dyscrasia generali nostrae curationi resistit. Stricta carcinomatis notio non exstat medicum vero practicum notas chirurgorum carcinomatum eorumque generum dignoscendorum leges assequi necesse est, quae omnia hic enumerare longum est.

CARCINOMA PENIS.

Inter genitalium virilium morbos penis carcinoma raro invenitur, penis carcinoma dico, nam de affectiōnibus cancrosis vel malignis testicularum non agitur. Alii si contrariam sententiam obtinent certe ita erraverunt, ut carcinoma aliosque morbos confunderent, praeſertim condylomata ex syphili tam saepe exorta, sed caveamus ne in aliud contrarium incidamus, neve omnes tales morbos esse affectiones syphiliticas contendamus. Plerumque in viris aetate provectionibus invenitur, sed nec hujus nec aliarum partium carcinomatis certas afferre causas possumus. Viri longe instructi praeputio praeſcipue illo affecti esse dicuntur, quod munditia neglecta circa glandem, smegma colligatur quod corruptum inflammationes et exulcerationes commoveat, quo facto orificium praeputii coaretetur, urinaeque fluxu prohibito ulcerationes augeantur et praeputium ipsum demum destruatur atque conficiatur. Sed his causis exorti morbi non sunt carcinomata, sed fortasse si vis pseudocarcinomata quae munditia adhibita accurata, urina per cathe-

trum derivata, blandis remediis injectis et fortasse phimosis operatione certe sanantur, quibus omnibus remediis carcinoma verum semper erit insanabile. Alii dicunt in viris aetate proiectis penis collapsu praeputii orificium magis urina concitari atque irritari et hanc ob causam oriri carcinoma, quae sententiam eandem ob causam, uti superior reprobanda videtur, ulcerationes quidem urina effici possunt, sed carcinomatis origo his nullo modo explicatur. Si vera fateri volumus, carcinomatis causas nobis esse ignotas concedamus.

Varia carcinomatis penis discernuntur genera, cancer cutaneus vel epithelioma omnium est frequentissimum, quod maxima ex parte in praeputio rarius in glandis corona incipit. Primum tuberculum parvum vel verruca nascitur, qua sub forma longum per tempus morbus persistit nec crescit nec dolet; deinde plerumque mechnica ex causa augescent illa, in superficia exulcerantur mox saniem secernunt magis magisque aucta atque fungosa reddita praeputium extra convertunt. Longo rarius scirrus invenitur, durus nodus subcutaneus vulgo post glandis coronam exortus inter praeputii laminationes evagatur difficilius in corpora cavernosa ipsa porrigitur, deinde satis notum carcinomatis exitum habet, quo in decursu praeputium coaretatur i. e. phimosis exoritur partim oedemate partim fibrosa carcinomatis tela. Secretum subpraeputiale initio mucosum, mox ulceratione exorta in saniem conversum novorum fungorum causa est. His omnibus phimosique aucta urinae secretorumque effluvium inhibetur et partim hanc ob causam, partim ipsa carcinomatosa ulecratiorne perforationes fistula;

sae cutis ipsiusque urethrae oriuntur. Haud raro etiam gangraena exorta non solum penis cutis et scroti adeo testuli interdum ipsi destruuntur, sed etiam glandulis inguinalibus jam antea morbo correptis exulceratisque tanto ambitu devastatur cutis, ut denique mons veneris, plicae inguinales, interiora femorum latera, penis et scrotum omnia sint cute privata et unius vasti ulceris adspectum praeflent. Tum sanguinis profluvia haud rara sunt et aeger vel succis amissis, vel dyscrasia carcinomatosa lente vel carcinomate interioris cujusdam partis exorto, subito moritur. Rarissima penis carcinomatis species est, quae fungus medullaris dicitur, quamquam ROKITANSKY aliique contrarium contendunt, qui scilicet epithelioma fungi medullaris generi subjunctum censem. Ill. BLASIUS se nunquam eum vidisse dicit, ex aliorum vero observationibus patet, plerumque corporum cavernosorum infiltrationem repertam esse. Penis tum semper magnitudinem et formam, quam sub erekione obtinet adeo major est, aegrotus perpetuis prementibus ac tenentibus doloribus vexatur, urethra ita est compressa, ut urina modo guttatum defluat, quamvis tumore compresso catheter induci possit. Hoc quidem modo res in casu a WEBERO (Clin. germ. 1851. 15) observato se habuerunt, qui corpora cavernosa medullare infiltrata invenit, quas partes simili modo ut nodum subcutaneum enucleare frustra tentavit.

Anatomia pathologica. Primitiae penis carcinomatis plerumque in cute et tela subcutanea inveniuntur,

quibus sensim auctis etiam tela fibrosa et corpora cavernosa afficiuntur. Si vero post operationem morbusredit, haud raro primum tuber duobus his locis invenitur. Eodem modo urethra ejusque corpus cavernosum fere nunquam prima morbo corripiuntur, sed haud raro novis post operationem exortis nodis. Fungus medullaris plerumque cum eodem testiculorum morbo coniunctum reperitur.

Diagnosis saepenumero difficilis est. Epitheliomata condylomatibus syphiliticis cumulatis et exulceratis ita sunt similia, ut nonnulli carcinomota penis omnino esse neganda crederent. Etiam ulcerus syphiliticum primarium, quod longum per tempus neglectum magis magisque auctum formam accepit enormem, indurato margine duroque fundo praeditum, doloribus cum vehementissimis ac glandularum inguinalium tumore coniunctum carcinomati simile redditur. Quum therapia utriusque morbi valde ex diagnosi certa pendeat, omnia bene sunt respicienda, quae ad infectionem priorem syphiliticam ejusque signa manifesta pertinent. Aegroti etiam valetudo minime negligenda est, syphili enim constitutionali universi corporis conditio nunquam tum grave depravatur, quam carcinomate glandulis lymphaticis jam infectis. Hoc loco commemorandum quoque videtur, tumores eximiae amplitudinis sine dubio esse condylomata, quae magnitudine epitheliomata longe superare possunt. Difficillimus in casibus regimini et medicamentis antisyphiliticis paucas per hebdomates adhibitis facile dijudi-

cabitur, cuius naturae sit morbus. Denique notandum videtur carcinomate tanta posse effici phimosis, ut haec sola cognoscatur et morbus gravior, illius coarctationis causa, negligatur, qui error accurata inquisitione evitatur, et si opus praeputio fisso, quo simul phimosis curatur.

Prognosis carcinomatis penis aliarumque partium eadem est minime fausta. DIFFENBACHIUS quidem dicit se nunquam vidiisse recidivum, si carcinoma in pene exortum ante glandulas lymphaticas infectas amputatione sit sanatum. Attamen ex toto prognosis tum modo melior videtur, si tumor est epithelioma solaque cutis eo affecta, corporibus vero cavernosis quolibet carcinomatis genere correptis vel glandulis inguinalibus infectis post operationem morbus erit recidivus, quoniam dyscrasia jam est exorta.

Therapia. Ut supra jam dixi sola tempestiva operatione aegrotus sanandus mihi videtur, quae operatio quoque in casu praferenda sit, variis ex causis pendet. Praeputio solo et epitheliomate quidem affecto, accurata extirpatione sufficit, si vero in glandis corona incipit, semper amputationem instituendam esse censeo. Saepe vero quod minime praetermittendum est, extirpatione aegrotus potest sanari, quamquam primo visu amputatio indicata putabatur, glans enim haud raro carcinomate in praeputio exorto ita est compressa, ut et ipsa destructa videatur, si corporum cavernosorum tegumenta carcinomate sunt affeta semper haec primum diffidere necesse

est, ut cognoscatur utrum tunica fibrosa intacta sit nec ne, quo priori casu exstirpatione aegroti salus tentanda videtur. Contraindicationes, quae dicuntur, operationis exstant morbo jam nimis progresso, glandulisque inguinalibus jam infectis, quo casu ex certa aegroti voluntate fortasse instituenda est, sed simul glandulae illae removendae videntur.

omnis ab aliis medicis cito invenit ut recessum sit pro
abducere sed ea ita regimur mollescere ut non longe erit quia
similiterq; infusio cum propriae confectione invenitur. Autobiv
longi operculatae excoecatae sicuti nisi odore inservi-
entur deponit enim ex eo quod resoluta sunt antea
nulli solubilis lumen hoc est solutio per se est
autobiv solvitur.

C A S U S.

*A. W...., L annos natus die octavo mensis Augusti
 anni XXXIX h. s. propter ulcerus carcinomatousum penis et scir-
 rhum glandularum inguinalium sinistrarum in clinicum chirurgi-
 cum receptus est. Die XXVI. ejusdem mensis penis destructus
 una sectione amputatus est simulque glandulae correptae ex-
 stirpatae sunt, quae examinatione instituta sine dubio eadem
 ratione, qua penis, carcinomate erant affectae. ILL. BLASIUS
 clinici director paullo post operationem profectus reliqua non
 ipse observavit. Aliorum relatione, maxima vulnerum parte per
 primam intentionem sanata, die sexto post operationem femoris
 sinistri phlebitis exorta firmatur, quam quidem mitigatam, die VII.
 Septembris subito mortem sub symptomatibus cerebralibus intrasse.
 Sectio fortasse leviter instituta mortis causam non expedivit.*

*Chr. W...., LXXV annos natus die XXI mensis Junii
 anni XLI in clinicum receptus, epitheliomate tegumentorum pe-
 nis erat affectus. Morbus dimidium ante annum praeputii ulce-
 ratione erat exortus, quae inde usque ad scrotum evagata erat,
 ut tum penis collapsus vasto ex ulcere promineat. FR. COSMI
 causticum jam sine successu erat applicatum, ideoque extirpa-
 tio hac ratione instituta est. Primum pars scrotri destructa dua-*

bus flexis sectionibus cineta est, quibus simul penis radix septa est. Partes deinde confectas cultro a sanis separando, varia altitudine morbo correptae inventae sunt, ita ut tunica vaginalis propria testiculi sinistri enudari opus esset. Corporibus cavernosis tum undique reiectis intra primas sectiones penis prope radicem amputatus est. Vulnus omnibus noxiis remotis praecipue urina derivata suppurationi relictum est, qua exoptata cicatrice obductum est, quae modo quarta ulceris pars erat.

F. T...., XLIV annos natus phimosis congenita laboravit tanta, ut urina interdum vix et ne vix quidem excerni posset, post praeputium colligeretur inflammacionesque ejus conflaret, quae semper sponte sanatae esse videntur. Denique urina retenta inflammatio gangraenosa exorta est, qua praeputiilatus duobus locis perforaretur. Hoc mensi Februario anni XLV h. s. accidit; a medico quodam praeputium a foraminibus illis usque ad orificium fissum et deinde toto ambitu resectum est. Glandis ulceribus post operationem repertis et remediis aptis adhibitis nondum sanatis, sanatione quoque vulneris initio sanescens nondum confecta, aegrotus sub finem mensis Martii medicum reliquit. Die VIII. mensis Octobris ejusdem anni in clinicum chirurgicum receptus est. Penis ad medium usque ulcere obtectum erat duobusque locis ex urethra ulceratione perforata urina profluxit. Crebra ac vehementia, palumine aqua soluto vix inhibita sanguinis profluvia aegroti valetudinem valde profligaverant; glandulae inguinales jam priori sub operatione induratae in ulcera erant conversae exerescentiis fongosis obtecta. Praeterea alvi profluviis aegrotus laboravit et febri hectica. Paulo post denuo duo eximia orta sunt sanguinis profluvia, quae modo compressione et pasta resinae colophoniae applicata inhiberi potuerint. Initio mensis Decembris post varias dejectio- num vices ulcera ita erant mutata, ut exrescentiae fungosae es- sent detrusae nec denuo exortae. Inde a die XIV ejusdem mensis aegrotus vero valde ex intestinis laboravit et quum alvus adstringi non posset, decimo die post sub inanitionis signis obiit.

Sectione carcinomata interiorum partium nulla sunt reperta, glandulae inguinales superiores erant sphacelosae, inferiores elastice expansae infiltratione serosa ipsarum telaeque proximae cellulosae.

G. K...., XLVI annos natus die XVI mensis Jannarii anni XLII in nosocomium receptus quindecim ante annos durum cognovit nodulum in cute penis dorsi situm, quod paulatim auctum est et tum massa inaequali valde dura penem ad medium usque penetravit. Initio interdum effluvia purulenta ex urethra exstiterant, demum phimosi exorta perpetuo pus secernebatur. Aliis a medicis morbus syphiliticus habitus Mercurialibus tractatus est, sed frustra; ideoque praeputium fissum est, quo facto glans admodum dura, nonnullis locis exulcerata sanieque foetida cooperta in lucem prodiit. ILL. BLASIUS quum glandulas inguinales scirrho jam affectas inveniret, aegrotusque urinam expedite reddere posset, operationem non amplius instituendam esse censuit, et paulo post fomentis mitibus et adstringentibus ordinatis aegrotum dimisit. Sex post hebdomates aegrotus statu eodem sed magis debilitatus rediit et acriter rogavit ut penis amputetur; ideoque die I mensis Martii una sectione operatio est facta. Vulnera jam fere toto sanato, die XXIII ejusdem mensis tuber scirrhosum in tela cavernosa exortum caustico Viennensi extinctum est, quo facto aegrotus est dimissus. Domi vulnus primum consanuit, paulo post vero pene relicto denuo scirrho affecto ulcerationes exortae sunt, quibus non solum penis truncus est confectus, sed etiam — quae ex chirurgi relatione patent — omnis regio inde ab arcu pubis usque ad anum. Valeudo usque ad austumnum anni L. IV. h. s. mediocris remansit, quo tempore crebris sanguinis profluviis, quibus dolores quidem sunt mitigati, valde prostigata est; et magna saniei copia est secreta. Interea etiam palpebrarum oculi dextri carcinoma exortum est. Denique viribus magis consumptis, hydrops universalis accessit, quae quidem paulo ante mortem evanuit, qua ae-

grotus die XXII mensis Aprilis, tertio anno post operationem est defunctus.

G. F...., L annos natus die VII mensis octobris anni LII h. s. receptus, tres ante annos verrucam duram lenticulatam in glandis corona sitam cognovit, quae duos per annos nec crevit nec alio modo mutata est. Quinque ante menses primo dolores pungentes exorti sunt, verruca est aucta et in ulcus conversa, quo quum aegrotus in clinicum reciperetur, penis dimidius jam erat confectus. Ulcus saniem foetidam profert, sordidum est fungosisque excrescentiis praeditum. Glandulae inguinales jam antea scirrho infectae repertae, tum in latere sinistro superne fracidae erant, cutisque rubefacta. Quae quum paucas post dies essent exulceratae, remediis malum valde dolens remorantibus magis, quam curantibus uti opus erat. His applicatis glandularum inguinalium ulcerationes eaeque quibus penis fere totus erat confectus coaluerant, et aegrotus alvi profluviis exhaustus die XVI mensis Junii anni LIII obiit.

Sectione instituta haec sunt inventa: Cerebrum erat atrophicum, pulmones adhaesionibus antiquis arce cum thorace et diaphragmate conjuncti et oedematosi erant. Valvulae aortae paulum dilatatae ac atheromate destructae erant induratae. Hepar fragile, exsangue, versicolor nuci moschatae simile, splenis etiam fragilis atque exsanguis pars posterior massa flava albescente erat infiltrata, quae dimidio splenis major et reliquo texto durior erat — fungus medullaris. — In rene dextro tuber pisiforme ejusdem generis repertum est. Intestinorum tenuium pars inferior et colon catarrho acuto erant affecta, glandulae mesaraicae vero non intumuerant. Ulcus carcinomatousum quod in plica inguinali usque ad stratum muscularum penetraverat, penem fere totum confecerat, testiculi et funiculi spermatici integri erant, testiculus dexter exiguus.

L. L...., LXII annos natus novem ante menses praeputii ulcusculum animadvertisit, quod a medicis syphiliticum putatum frustra Mercurialibus erat tractatum. Die XXVIII mensis Aprilis anni XLIV in clinicum chirurg. receptus est et tertio die post praeputii circumcisio instituta est, quo facto etiam glandis pars destructa simul resecta est. Arteria dorsalis subligata est, reliquum sanguinis profluvium sclerodermate vulgari applicato est inhibitum. Suppuratione exorta sanae natae sunt granulationes, et quum vulnus fere totum cicatrice erat obdendum aegrotus die XIX mensis Maji dimissus est.

Die VII mensis Augusti L.... in nosocomium rediit quum morbus in glandem et proximam corporum cavernosorum partem redierat; cutis vero et glandulae inguinales integrae erant.

Itaque sequente die penis post glandem una sectione amputatus est, tres sunt arteriae subligatae, et cereolus urethrae impositus.

Vulnus suppuratione bona exorta fere totum erat sanatum, quum aegrotus domum mitteretur, ubi nunc quoque firmus ac valens vivit.

VITA.

Natus ego sum JOHANNES HERMANNUS FRASCH fidei evang. addictus Longosalissae anno XXX. h. s. patre Joh. ERNESTO, medico pratico et matre Iduna e gente BONITZA, quos ambo adhuc viventes pio animo veneror. Litterarum primitiis a Suchslando quodam theol. cand. imbutus in alumnorum Portensium numerum ab III. KIRCHNERO rectore magnifico receptus, sex per annos et dimidium scholam illam frequentavi. Maturitatis testimonio instructus anno LI h. s. in academiam Jenensem me contuli, ubi ab III. GOETTLING prorectore civibus academicis adscriptus, duos per annos et dimidium versatus sum. Tentamine philosophico Halis rite superato Wirsburgum me contuli, unde post annum reversus acadamiam claram Fride-riciam Halensem ex autumnali anni praeteriti tempore frequentavi.

Per quadriennium academicum scholis interfui hisce.

Jenae: III. Suckow de chemia organica et anorganica, de mineralogia; III. REINHOLD de logice et psychologia; III. SCHLEIDEN de botanice et de anthropologia, Exp. SCHAEFFER de physice; III. HUSCHKE de anatomia descriptiva et de arte cadavera rite dissecandi; III. DOMRICH de physiologia et de neurologia bis; III. SCHMIDT de zoologia et de infusoriis; Exp. SUCKOW de pharmacologia et de pathologia et therapia generali; Exp. FUERER de tumorum diagnosi; III. SIEBERT de pathologia et therapia speciali bis; III. RIED de chirurgia, de akiurgia et de vulneribus.

Wirceburgi. III. KOELLIKER de arte cadavera rite dissecandi; III. SCANZONI de arte obstetricia; III. NARR de encyclopaedia et methodology;

III. VINCOW de anatomia pathologica; Exp. A WELZ de arte formulas medicas rite praescribendi; III. RINECKER de infantum morbis; III. a MARCUS de historia medicinae et de psychiatria.

Halis: III. BLASIUS de fracturis et luxationibus; III. VOLKMANN de anatomia sensuum organorum; III. SCHULZE de histologia.

Scholis clinicis interfui hisce.

Jenae: medicis III. SIEBERT; chirurgicis III. RIED.

Wirceburgi: medicis III. BAMBERGER, chirurgicis III. a TEXTOR; obstetriciis III. SCANZONI; psychiatricis III. a MARCUS.

Halis: medicis III. KRU肯BERG; ophthalmiatrico-chirurgicis III. BLASIUS; obstetriciis III. HOHL.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

THESES DEFENDENDAE.

Carcinomatis diagnosis microscopio non firmatur.

Carcinoma exstirpatione sanari potest.

Necrosis ossium operatione cito tutoque sanatur.

In Herniotomia saccus herniae semper aperiens
dus est.

THESEIS DEFENSIVAE


Oncionomia dignaria, microscope non finitum.

Oncionum exaltatione causa potest.

Necosia oszium oblatione cito transire amavit.

In Hermonotum securus perire remittit - abicitur.

ut est



X



